

















1637.

1. Covringius, Hermannus: De jure

1638.

1. Claudius, Johannes Thomas: De obligationibus, quae  
quasi ex contractu nascuntur.

2. Weccius, Trachinus: De jure in re constitutis

3. Weccius, Trachinus: De contractu locationis conductio-  
nis.

4. Weccius, Trachinus: De contractu depositi.

1639.

1. Claudius, Johannes Thomas: De jure majestatis  
circa religionem in genere, et in specie de episco-  
patus et patronatus.

2. Covringius, Hermannus: De rebus publicis in genere

3. Weccius, Trachinus: De mutuo.



1640.

1. Oratio de usu chronologicae ac historiarum in jure privato (anonym.) ?
2. Cludius, J. Thomas: De feudorum origine, compilationibus, autoritate, etymologia, definitionibus et variis divisionibus.
- 3<sup>2<sup>da</sup></sup> Cludius, J. Thomas: De imperatore Romano Germanico, et statu imperii 2 Tomi.
4. Cludius, J. Thomas: De personis feudis dantibus et accipientibus.
5. Cludius, J. Thomas: De rebus quae in feudum dari possunt vel non.
6. Cludius, J. Thomas: De Tutelis.
7. Covingius, Hermannus: De regno et Tyrannide.
8. Covingius, Hermannus: De verbis ac mutationibus rerum publicarum.



9. Lotichius, Johannes: De sententia e jusque executione
10. Lotichius, Johannes: De foro competente, tam  
Communi, quam privilegiato
11. Lotichius, Johannes: De pignoribus et hypothecis.



10  
1.0  
2.0  
3<sup>2</sup>  
2  
4.  
5.  
6.0  
7.  
8.

*[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a list or index of entries.]*





9463. 4  
DISPUTATIO POLITICA  
DE  
REBUS PUBLICIS  
IN GENERE,  
QVAM  
CVM BONO DEO  
SUB PRAESIDIO

*Viri Clarissimi & Amplissimi*  
HERMANNI CONRINGII  
Philosophiæ ac Medicinæ Doctoris, & in in-  
clyta Academia Iulia Professoris publici, Illustris-  
simi Ostfrisiæ Comitis Consiliarij intimi & Ar-  
chiatræ &c. Dn. præceptoris & patroni sui  
nunquam non venerandi

Ad d. Maij  
*Publico examini subicit*  
ERASMVS Nissen  
Holsatus.

☉(o)☉  
HELMESTADI,  
Typis HENNINGI MULLERI.

CIO I D C LI.





DISPUTATIO POLITICA

REPUBLICAE

CYMBRICA

DE RE PUBLICA

DE RE PUBLICA

DE RE PUBLICA

DE RE PUBLICA







ΣΥΝΘΕΩ.

De

REBUS PUBLICIS IN  
GENERE

THESIS I.

**S**ervius ille Sulpitius, qui primum in cau-  
sis orandis locum post M. Tullium Romæ  
obtinebat, cum aliquando super Amici  
causâ Q. Mucium Scævola Juris suo tem-  
pore peritissimum consulisset, neque, quod  
illerespondebat, ita statim intelligere po-  
tuisset, graviter legitur ab ipso objurgatus fuisse, quodque  
Mucius dixerit: *Turpe esse & Patricio & Nobili jus Civita-  
tis, in quâ versetur, ignorare l. 2. §. 43. ff. de O. I.* Quod sane  
effatum si verum est de jure privato, de quo tamen hic &  
Sulpitius tantum quæsit, & Mucius respondit, quin de  
jure publico rectius quis asseruerit, nullum est dubium.

II. Etenim cum satis constet, Patricios & Nobiles  
per quam multos & fuisse semper, & etiamnum esse, qui  
ita res suas composuerint, ut nec ipsi aliis ex jure civili  
obligati sint, nec illis alij, quomodo etiam hanc inter præ-  
cipuas Attici laudes Viri alioquin Nobilissimi refert Cor-  
nelius Nepos, *quod neminem unquam accusaverit, nec de re  
suâ in judicium iverit*: Cur, si non alij, saltem hi tuto illud  
ignorare queant, vix idonea causa afferri potest. Ne-  
que enim existimandum est, juris privati peritiâ nobili-

A 2

tatem



tatem ortam, aut postmodum tantum in eâ sitam fuisse, cum & Nobilissimi semper homines extiterint sine hujus juris peritia & juris peritissimi sine Nobilitate.

III. Bene autem illud ex historiis quis evicerit, à quibus cœperit Nobilitas, merita in Patriam, Populos, aut Principes fuisse, quæ sane, vix est, ut primi Nobiles in illos contulerint, quorum jus & statum adeoque Rempublicam ignorarint. Quod cum ita esset, quo quis nobilior, eo magis semper Reipublicæ se dedit, ut aut majorum suorum dignitatem auget, aut si illud non posset, acceptam ab illis saltem tueretur. Omnino enim, quod de imperiis in Catilinâ Sallustius, in nobilitate etiam obtinere sciebant: *jisdem eam artibus facillime retineri, quibus sit parva.*

IV. Vt ut autem publicarum rerum cura istum ordinem maxime ante alios deceat, nunquam tamen tam iniquus ille fuit, ut ad se solum Rempublicam pertinere arbitratus fuerit, sed palmam illam in medio ubi hæctenus erat posita, omnibus reliquit. Et vero cum homo quasi naturâ sit animal civile, ut Aristoteles alibi tum *1. Polit. 2.* contendit, & verum est, si mores qui nunc passim obtinent videas, atque illos receptos mores naturæ loco habeas, adeoque ita nemo non alicujus civitatis pars sit, certe non possit non esse: si quid ratio Scævola valet, & propterea, quod in civitate versatur, jus illius ignorare non debet, illud jam in aperto est, omnibus civibus Rempublicam suam debere esse cognitam. Quod tamen defendere arduum fortassis fuerit, nisi certo modo hoc aliquis intelligat, suas videlicet partes & officium, quæ cujusq; in Reipublica sint, nemini debere ignotas esse.

V. Sed quid singuli cives Reipublicæ suæ scire vel nescire debeant, alias erit videndum: id impræsentiarum  
fatis



12  
fatis est obtinuisse, nulli non civium, si non suam admini-  
strare, (id enim in certis Rebuspublicis certarum est per-  
sonarum) certe omnes Respublicas, si velit & possit, co-  
gnoscerelicere. Cum enim natura in conferendis inge-  
niis certo ordini nunquam se adstringat, eaque summa  
sæpe in occulto lateant, inhumanum prorsus foret, natu-  
ris hominum invidere, & bonis ingeniis limites velle po-  
nere, quod, nisi de tyrannis inauditum hæcenus fuit.

VI. Quod si scientia illa communis est cujuscunq;  
ordinis hominibus, eos certe, qui huic studio semel vitam  
suam manciparunt, scire, quæ sint Rerumpublicarum, li-  
cere non solum, sed & debere concludimus, ne quis illud  
Epiæcteti ex Gellio *lib. 17. cap. 19. μέχρι τῆ λέγειν, ἀνευ τῆ πράτ-  
τειν* eis infusurret.

VII. Qua spe faciliorem mihi veniam promitto, si  
quæ de Rebuspublicis universim audita lectave mihi sint,  
in medium proponam, strictim tamen, & ut ingenium &  
institutum meum est, breviter; cætera & singulas Respu-  
blicas iis relicturus, qui par istis ausis ingenium, judicium,  
experientiam afferre potuerint.

IX. Neque vero rem ab ipso ovo, ut ajunt, ordiri  
necessum putamus, quo ordine hæc de Rebuspublicis sci-  
entia, quod alias fieri solet tradi debeat; & quando, ut  
Practica omnes resolutivo, quæ sint primæ & simplices  
societates, & quot numero quomodo ex iis familia,  
& ex familiis civitas coalescat, in quam tanquam ma-  
teriam proximam Respublica introducatur. Hæc enim  
aut ex aliis jam nota aut certe notenda supponimus. Id  
initio monuisse suffecerit, cum civitas alias dicatur cum  
respectu ad illum ordinem, quo aliqui imperant aliqui pa-  
rent, ut eum simul includat; alias sine illo respectu. In

A 3

poste-



posteriori significatu, si quando imposteriorum illa voce utendum nobis fuerit, eam nobis semper intelligi.

IX. Ipsa etiam vox Reipublicæ & πολιτείας est ex numero τῶν παλαιῶς λεγομένων, quæ Aristoteli dicuntur, quare & hoc expediendum, quid ea nobis valeat. Etenim & quamvis Reipublicæ formam, sive unus, sive optimi, sive omnes eam constituent; & unam aliquam singularem ejus speciem notat. De hac cum ad eam ordo nos deduxerit, aliquid veniet dicendum: extra illum locum, quando Rempublicam dicimus, priori modo volumus acceptam.

X. Equidem aliæ etiam ab aliis hujus vocis significationes, ut & in disputatione, quam ante hac Clariss. Præses habuit ejusdem cum hac nostra argumenti, afferuntur. Notat scilicet etiam mixtionem ex Oligarchia & Democratia; & denique etiam civitatem suis administrandi legibus instructam. Verum cum hujus acceptionis nullus in specie; illius non nisi semel, cum de Republica striete dicta seu Politica dicetur, quippe cum qua est eadem, nobis obventurus sit usus, obiter etiam hoc præmonere, satis esse ducimus.

XI. Proximum erit de re ipsa, & quid igitur Respublica in lata illa significatione sit, dispicere, quod aliunde nemo melius cognoverit, quam ex ipsa definitione, quam triplicem nobis dat Aristoteles, pro variatione instituti sui: ceu solet sæpe usu venire, ut vocabulum aliquod exigente necessitate debeat alio sensu usurpari quam eo quem alias promiscue obtinet. Unam 3. Polit. 1. Alteram 3. Polit. 4. Ultimam 4. Polit. 1. quæ tamen tantum ab invicem abeunt, ut idem dicere, si attendas, non facile intelligas. Laudatissima & nobis convenientissima præ reliquis media est, quam 3. Polit. 4. (seu ut alij habent 3. Polit. 6.) exstare diximus. Verba hæc sunt, *Respublica est Civitatis ordo,*



12

ordo, tum in aliis magistratibus, tum in eo maxime, qui omnium est Princeps. Cui definitioni cum eorum nihil, quæ ad essentiam bonæ definitionis faciant, desit, merito acquiescimus.

XII. Ex qua quidem principio constare potest, non eam tantum esse Rempublicam, in qua ita ille ordo est institutus, ut res, id est, utilitas publica semper ex æquo spectetur, quod alias ex definiti origine contenderet aliquis. Sed cuius etiam alij hanc definitionem competere, in qua quocunque modo res, id est, negocium publicum administratur, sive id unice populi commodo sive etiam cum aliquo ejus incommodo fiat. Neq; enim utilitas æqualis omnium norma & regula est quarumlibet Rerumpublicarum, sed rectarum tantum, quæ Aristoteli dicuntur, adeoque tyrannidem & cœteras aberrationes non minus hoc nomine venire, quam illas, quippe in quibus τὸ κέρειον & talis ordo, & denique omnia definitionis reperiuntur; sola absit utilitas æqualis, quæ tamen Republicæ nisi rectæ definitionem non ingreditur.

XIII. Atque hinc est, cur Aristoteles, cum primum Rempublicam definivisset, capite statim sequenti quinto divisionem instituat inter rectas, quas diximus & aberrationes, omnemque illarum differentiam ex bono publico metiatur, ut quæ illud præstitutum sibi ex æquo habeant, rectæ sint, quæ vero potissimum unius, vel divitum, vel pauperum, vitiosæ. Quamvis enim fortassis non defuerint, qui Aristotelem in constantiæ accusarint, quod cum initio quinti hujus capitis videatur omnium omnino Rerumpublicarum, sive rectæ sint, sive vitiosæ, dignoscendarum certam ac infallibilem notam atque regulam facere numerum eorum, penes quos sit majestas; sub finem tamen ejus, quasi sui oblitus, Oligarchiam & Democratiam



cratiam ex divitiis & paupertate æstimet. Sed id anticipare nolumus, & si suo nos loco conciliaturos promittamus, abunde nos hic fecisse censemus.

XIV. Sed nec vicissim existimandum est Aristoteli, quod in omni Republica, adeoque etiam recta maxime inspicere velit illos, penes quos sit τὸ κρείον, ceteros cives nullo loco esse. Quamvis enim ad Rempublicam in genere constituendam aliam illorum rationem non habeat, quam ut abesse non debeant, id quod vel ex ipsa definitione maxime liquet, quando Rempublicam dicit *ordinem civitatis &c.* Civitatis autem nomine præfati jam sumus, omnes omnino cives, sive præfati, sive subsint contineri, sine tamen respectu imperii aut subjectionis. Talis autem Respublica, ubi omnes imperent seorsim seu singuli, nulli pareant, dari nullo modo potest.

XV. In Republica tamen recta tantum abest, ut nullo loco ipsi sint subditi, ut illorum utilitas utramque ipsi paginam faciat, nec recta ipsi sit, nisi illam non minus atque imperantium intendat. Nec in ulla Republica sive recta sit sive vitiosa, ad aliud quid τὸ κρείον jubet attendi, quam ad dignoscendam reipublicæ formam, quam, qui illud habent, constituunt. Quod certe honoris, si cetera bene imperent, nec illis qui rectis etiam Rebuspublicis præfunt, invideri, nec utilitati publicæ derogare potest.

XVI. Dictum jam semel atque iterum fuit Rerumpublicarum tam rectarum quam vitiosarum diversitatem spectari quodammodo secundum diversum eorum numerum, penes quos sit majestas, (ita autem nuncupamus id quod Aristoteli dicitur τὸ κρείον, sive summam potestatem malis vocare) ex eoque illas dignosci, cum igitur *cunctas nationes* (verba sunt Taciti *Annal. 4.*) *populus aut primores*



12  
mores aut singuli regant, ut non solum Aristoteles 3. Polit.  
d. cap. 5. & 4. Polit. 2. docet, sed & à Platone coererisque  
Philosophis Cicero se didisse scribit lib. 2. de Divinat. &  
usu ipso licet discere, id quidem in aperto est, utrarum-  
que illarum tres esse species. Neque vero id nobis ad-  
versabitur, quod 1. Rhetor. 8. quatuor species Aristoteles  
enumeret, videlicet Monarchiam, Aristocratiam, Oligar-  
chiam & Democratiam, ut enim ipse citato loco innuit,  
vulgarem loquendi modum secutus, sub Monarchia Ty-  
rannidem etiam & dominatum; sub Democratia vero Po-  
litiam seu rempublicam strictè dictam comprehendit, a-  
deoq; omnes rerumpublicarum species tam rectas quam  
pro lapsas ibi ex vulgi sententia & populariter recenset.

XVII. Proximum est de rectis videamus, si uno tan-  
tum verbo præmiserimus, quem dedimus, numerum spe-  
cierum & rectis & vitiosis rebuspublicis de simplicibus  
tantum nos intelligere. Præter has enim mixtas quoque  
esse Aristoteles docet 4. Polit. 9. Imo tam rectas quam  
vitiosas aliquando misceri, id vero infra, quando de sim-  
plicibus visum fuerit, patebit. Prima igitur rectarum  
est, quando *summa potestas penes unum est, qui salutem tamen  
publicam omnium unice intendat.* Hanc cõmuniter Re-  
gnum vocant. Equidem illius Reipublicæ quando unus  
præest (Monarchiam Græci vocant) Aristoteles 3. Polit. 10.  
quinque sive species sive modos recenset, sed cum cõete-  
tis alterutra aut absoluta potestas, aut communis & æqua-  
lis omnium utilitas desit, hoc demum, in quo utraque sic  
conspicua, vere & proprie regnum esse docet, cõetera non  
nisi secundum quid.

XIIX. Prima Classis est Regum Spartiatarum, sed  
cum eorum duo fere simul semper fuerint, licet inæquali  
authoritate nec potestas tamen illimitata, quantum hoc  
B regi-



regimen si non contra certe præter naturam illius regni sit, quod Aristoteles definit, cuius iudicare est integrum. Alter ordo est Regum apud Barbaros sive Minorum, sed cum hi suum potissimum, non nisi secundo autem commune curent bonum, proprius fortassis à Tyrannide, quam Regno abesse dixeris, nisi quod hi tantum volentibus, Tyranni imperent invitis.

XIX. Tertiæ Classis sunt Æsymnetæ, quos Aristoteles vocat, & Mytilenenses & ceteri etiam Græci, alio tantum nomine, si quando periculum Reipublicæ imminabat, ipsi cum summo imperio constituebant. His simile quippiam in Romana republica dictatores habebant, atque hi minimum omnium ab Aristotelis Regibus ab sunt. Potestas tamen temporaria communiter tantum erat, & nihilo tamen minus non raro illi temporaria hac potentia in suum commodum abutebantur. Vid. *Dion. Halicarn. lib. 5. Hist. cap. 11.* Ultimi denique erant Heroes, sed quibus cum res ita erat comparata, ut illorum quorundam merita magis suspicerent istius ævi homines, quam ut illis parerent. Quam enim virtutis famam hæcenus consecuti erant, eadem adversum se ipsos illos sæpenu-mero credebant. Ut nec illorum potestas fuerit absoluta, quippe qui imperium tantum belli, curationem sacrorum, & controversiarum disputationem, præter tria autem illa, dicente Philosopho, majestatis habuerit nihil.

XX. Omnibus igitur illis merito suum illud, quod diximus Regnum præfert Aristoteles, in quo & absoluta potestas, & publica ex æquo utilitas concurrant, cuique primum in ordine locum tribuit, tanquam simplicissimæ Reipublicæ, uti etiam Platoni audit *lib. 3. de Legib.* Ut sit quasi norma ac regula reliquarum Monarchiarum, à qua illæ quo longius abeant, magis errent. Inde etiam est, cur



12

cur Aristoteles præterea Regem suum omnibus virtutibus & quidem usque adeo, ut omnem populum collective sumptum virtute adæquet imo superet, instructum esse velit *8. Eth. 10. & 7. Polit. 14.* ne scilicet absoluta potestate abutantur, ut pro communi suo invigilent commodo. Cum etiam teste *Dion. Hylycarn. in præf. Orig. Rom. à natura inditum sit, ut melior imperet deterioribus,* quod aliquoties etiam Aristoteles dicit, *1. Polit. 3. 3. Polit. ult. 7. Polit. 3.* Adco ut talem Regem in omni retro historia vix invenias, nec multum à Platonis idea abeat, quod nec ipse Aristoteles admodum diffitetur, quando *3. Polit. 9. & 7. Polit. 17.* semper sub conditione loquitur, *si quis existat talis, qui virtutibus excellat.*

XXI. Quod si certe talis debet esse Rex, in proclivi jam est judicare de illa controversia, utrum præstet nasci Regem an eligi? Quamvis enim verum sit, *fortes creari fortibus & bonis Horat. lib. 4. Od. 4.* tamen ut fit in rebus humanis, in quibus nulla regula, ut loquimur; adeo firma est, quæ non patiatur exceptionem; ita hic quoque deprehendas, aliquando non omnino errasse, qui Heroum filios noxas dixit. Id profecto quam notissimum, non omnes Regum aut Principum filios semper meminisse, *ita se natos esse, ut bona malaque sua ad Rempublicam pertineat,* quod Tiberius Germanici liberos monebat apud Tacitum *4. Annal.* Nec solum Antoninum Philosophum felicem dici Imperatorem potuisse, nisi filium Commodum reliquisset, Reipublicæ postea nimis incommodum. Sed semper fere reperias, *qui ex paterna fortuna nihil præter licentiam usurpent,* quod in Domitiano notat Tacitus *de vita Agricol.* Cum tales igitur non raro illi sint, electio autem optimum quemque inveniat, quin hæc ad talem quidem Aristotelicam regni formam obtinendam successioni mul-



tum sit præferenda, dubitari vix potest. Quid? Quod si quando majorum suorum vestigia presserint, eligi non minus possint quam succedere; in hæreditario autem Regno ne indigni quidem illis quam maxime, repelli se patientur.

XXII. Solebat, quando de Regibus, utrum sint inviolabiles, quæri, & an omnia ab ipsis accipere debeant subditi? De quo sane dubium non est, si, qualem Aristoteles Regem definit, talis ille sit. Minime item dubium aliquod superest, si quis jure possideat plena herilis imperij jura: sed cum Regna plæraque sint omnino in pleno patrimonio regentium, imo nonnulla magis aristocratia naturam referant quam monarchia, & res ea diu jam inter magnos viros non minori contemtionem sit agitata, equidem non ausim illorum sententiis intercedere, quam maxime, cum non tantum stylo & calamo, sed ferro etiam & armis haud ita pridem disceptari illud cœperit. Quanquam alias etiam hic definire quid recti haud adeo sit difficile, modo cujusque regni leges sint omni ex parte cognitæ. Si vulgi sententias vero velimus spectare, videas usu venire id quod Iustinus dixit: *init. lib. 5. Hist. Quo se fortuna, eo etiam favor. & judicia inclinant hominum.* atque ita, prout sese dat eventus, ita quod rebellio in infelicioribus id in felicibus laudabile libertatis studium audit. Ita sæpe *prosperum & felix seclis virtus vocatur*, prout loquitur Senec. *in Herc. fur.*

XXIII. Promissimus antea de rectis Rebus publicis prius nos visurum, alias eadem opera cœteras Monarchia species dominatum videlicet & Tyrannidem subderemus. Nunc Aristocratia & Politia paucis prætermittendæ erunt. Atque illam quod attinet, ante omnia observandum est, nunc illa voce simpliciter notari rempublicam



12  
blicam optimam, nunc illam duntaxat in qua penes opti-  
mates est regimen. At de illa quidem aristocratia fate-  
mur, eo difficiliorem ejus tractationem esse, quo majori  
cum dolore omnium Politicorum Aristotelis de illa com-  
mentarij desiderantur. Certe summum Philosophum &  
qui humana pene omnia exsecutus sit, hanc ita indictam  
præterijisse, ut non nisi uno atque altero loco mentio-  
nem ejus faciat, atque hoc sparsim, *lib. videlicet 3. Polit.  
c. 5. lib. 4. c. 7. & 8. lib. 5. c. 7. lib. 6. c. 6.* cum cœtera tamen  
Rerumpublicarum satis exacte pertractet, non est verisi-  
mile, omninoque hic tempori potius aliqua injuria,  
quam Aristoteli negligentia venit imputanda, ut erudite  
Arnisaus ex Victorio observavit, *num. ult. Sect. 1. de Oli-  
garch. in Gen. cap. 8. lib. 11. Relect. Polit.*

XXIV. Cæterum altera illa ratione acceptam, de-  
finimus Aristocratiam cum Aristotele ex *3. Polit. 5.* Quod  
sit *summum imperium paucorum plurium tamen uno ad salutem  
civitatis publicam atq; ex equo communem directum.* Neque  
adversari huic existimamus; quod in *capite 7. lib. 4. Polit.*  
non attento numero eam dicit esse Aristocratiam, quæ vi-  
ris absolute bonis constet. Etenim ex ijs quæ jam fue-  
runt, constat, eos maxime ab Aristotele in explicanda Re-  
publice considerari, penes quos sit summa potestas. Ar-  
que hos in Aristocratia viros absolute bonos debere esse  
dicit. Plures autem eum ad hanc Reipublica speciem ta-  
les viros requirere, inde manifestum est, quod non unum  
tantum sed plures nominet.

XXV. De certo autem numero huic rei determi-  
nando, non admodum sumus solliciti cum Bodino *lib. 2.  
cap. 6. de Rep.* Possumus ipsi vanum illum metum relin-  
quere, quid tunc futurum sit, si plures in aliqua civitate  
inveniantur viri optimi, quam alij, id est, ad Rempubli-



cam suam administrandam aptiores, quam ad parendum. Eat & quærat Bodinus illam civitatem, ubi invenerit, satis mature hac de re deliberabitur. Nos interea tot seculorum experientia edocti, de rebus humanis non tam bene evenire solere, ut plus bonorum minus malorum in ijs inveniatur, statuemus, cuicumque etiam Aristocratia (plures enim hujus quoque gradus esse, statim dicemus) aliquando rebus suis idoneos deesse, nedum ut sint nimij. Id tamen interea non negamus, si plusculi sint, quamvis multum infra dimidium, tutiorem omnino illum statum esse, quam si admodum pauci, quibus Respublica committatur. Hi enim, fere facile est, ut virtute relicta conjurent, & Rempublicam intervertant. At quod tamen audendum multi illi in vicem sese impediunt.

XXVI. Cæterum quod antea Regno id multo etiam magis Aristocratia evenire videas. Si enim unum omnibus virtutibus instructum, qualem Regem requirit Aristoteles, non facile reperias; neque tamen illi, qui paululum ab hoc deficiunt, Reges propterea esse desinunt, quamdiu tantum publicæ utilitati consulunt: ut necessum etiam duxerit Aristoteles, plures eorum gradus afferre, in *d. cap. 10. lib. 3. Polit.* Ad Aristocratiam autem viri uno plures absolute boni requirantur, quorum tamen ex tota illaque sapientissima Græcia vix tot invenit Apollo Pythius, quod sunt Thebarum porta, vel divitis ostia Nili, vix est, ut ex singulis civitatibus multos nobis promittamus. Hinc fieri sane aliter non potest, quin optimatum nomine alij etiam veniant, qui etiam si non optimi (in rigore ita dicti) saltim sint convenientissimi naturæ, & moribus illius civitatis, cui præsent, ut docet Aristoteles *4. Polit. 10.* seu ex opinione & judicio vulgi, optimi, ut *3. Polit. 3.* Quemadmodum etiam alias pro optima Republica nonnunquam haben-



habenda est, quæ non simpliciter sed in tantum, in quantum fieri potest, optima est, ut dicit idem *4. Polit. 6.*

XXVII. Atque ita accidit, ut diversi etiam gradus Aristocratia existierint, qui alieni quippiam admistum fortassis habeant, quamdiu tamen publica totius populi magis, quam privata illorum qui præsumt spectatur utilitas, Respublica illa adhuc fuerit Aristocratia, quamvis alias imperantes non undiquaque sint optimi, sed tales, quales diximus. Aristoteles *4. Polit. 7.* præter illam, quam hætenus vidimus veram atque optimam Aristocratiam, trium aliarum etiam facit mentionem, prima est, quando non solius virtutis, sed præterea divitiarum etiam aliqua habetur ratio. Tale quid in Senatu Romano observare est, cum libera adhuc Roma erat, quando certus census isti ordini præscriptus fuit, neque quisquam infra illum admissus. Quanquam enim alias mixta fuerit tunc temporis Romana Respublica, ut deinde dicemus, nec penes Senatum summa potestas, id tamen nemo facile negaverit, in qualibet republica Senatum ex optimis & prudentissimis constare debere, quos sane, qui ditissimos semper esse existimat, illi nimium quantum errat.

XXIIX. Hoc tamen Romæ ita obtinuisse non solum Augusti Cæsaris temporibus, ut *Suetonius in ejus vita* disertè testatur: sed & multis retro annis, G. Fab. Maximo videlicet IV & M. Marcello III. Coss. qui *SCto* edixerunt, ut cum tempore belli Punici II nautæ deficerent, secundum censum darentur, & qui decies æris in bonis haberent, septem; Senatores vero octo darent, ut est apud *Livium lib. XXIV.* Ex quo sane liquet, ultra decies æris jam tum censum Senatorum fuisse, alias enim illo *SCto* manifestam injuriam Senatus sibi fecisset, quod verisimile non est. Quod quidem quando institutum sit, à Romulo, an postea, inter doctos adhuc



adhuc ambigitur. Id autem constat, non solum tunc temporis censum Senatorium fuisse tantum, sed postmodum etiam cum imperio una fuisse auctum. Ita Augustus illum ampliavit, & pro octingentorum millium summa duodecies H. S. taxavit, supplevitque non habentibus, *Sueton. in eius vita.*

XXIX. Secundus gradus est, quando prima virtutis, secunda libertatis habetur ratio, id est, quando optimatibus dignissimi è populo adjunguntur, popularis enim regiminis finis potissimum est libertas, 3. *Polit.* 3. 3. *Polit.* 1. & 6. *Polit.* 2. quod in veteri Lacedæmoniorum republica ipse observavit Aristoteles 2. *Polit.* 7. Simile quippiam quodammodo occurrit in reipublicæ Romanæ administratione. Ille enim aliquando penes solos Patricios erat, donec seditio oriretur, quæ sopiri non potuit, nisi magistratibus & honoribus cum plebe communicatis, quos soli hæctenus Patricij usurparant, ut legere est apud *Livium lib. 6. & Florum lib. 1. cap. ult.*

XXX. Tertius denique gradus est, quando & virtutis & divitiarum & populi habetur ratio, sic tamen, ut magis spectetur virtus. Nam si divitiæ præferantur, non jam amplius status Aristocraticus sed Oligarchicus fuerit; si populus, Politia seu Respublica strictè dicta; si par omnium habeatur ratio exactè mixta. Quamdiu enim jura majestatis æqualiter non sunt divisa, & altera pars plus, altera minus habet, quadamtenus illa Reipublicæ forma obtinet dicenda est, cujus partes sunt potiores. Tale autem imperium, in quo & virtus & divitiæ & populus concurrunt, Carthagine fuisse statim subsicit Aristoteles. Et hæc quidem de Aristocratia, quas ille affert, speciebus.

XXXI. Cum autem *Respublica* tantum *æterna*, *Principes* vero & *optimates mortales sint*, *Tacit.* 3. *Annal.* ne *esum*



12

Sum omnino fuerit hic meminisse, si cui optimatum hu-  
mani, quippiam acciderit, ut alius in ejus locum sit sub-  
rogandus, quomodo id quam commodissime fieri queat?  
Varios varie hic egisse constat. Fuerunt, qui optimati-  
bus in republica jam constitutis singulis singulos sibi ad-  
sciscere permiserunt, ut Augustus Senatui, *Sueton. in  
ejus vita.* Vel etiam plures ut Pisander Atheniensibus,  
*Thucydides lib. 8.* Qui modus quidem adeo malus non  
est, sicubi simplex & vera Aristocratia reperiatur. Cum  
vero Augustus non in Platonis Republica sed in Romuli  
fece sit versatus, Thucydides autem ipse fateatur, Pisan-  
dri memporibus Athenis Oligarchiam fuisse, non sane le-  
ve periculum est, quando res ita fuit instituta, ne sangui-  
nis, favoris, aut alterius alicujus rei potioem habuerint  
rationem illi qui eligere debuerunt, quam virtutis.

XXXII. Ne apud eundem quidem populum idem  
hic semper observatum videris. Ante Augustum enim  
præcipuum Censuræ officium erat cura Senatus eumque  
supplendi. Extra ordinem tamen etiam Dictator id fe-  
cisse legitur, si quando periculum imminere Reipubli-  
cæ. Ita bello Punico II. M. Fabius Buteo Dictator CLXXVII.  
*in Senatum legisse legitur apud Livium lib. XXIII.* neuter ta-  
men sine consensu populi, nam de hoc quidem aperte  
testatur Livius, *recitatum Senatum & factum id ingenti cum  
approbatione omnium fuisse,* Et Sulla post cruentam il-  
lam victoriam adversus Marium Dominus magis quam  
Dictator, cum Senatum maximam partem ex vilissimis  
hominibus supplevisset, sine populi tamen consensu hoc  
fecisse, videri noluit, quippe, qui de singulis suffragium  
tribubus dederit, ut est apud *Appianum.* De Censore,  
ut idem credamus, facit Cicero pro Sextio: *Majores, in-  
quit, nostri, cum regiam potestatem non tulissent, ita magi-  
stratus*

C



stratus annuos crearunt, ut consilium Reipublicæ præponerent sem-  
piternum, deligerentur autem in id ab universo populo. Id ve-  
ro nisi de suffragatione populi accipiatur, factum non  
fuisse, post Manutium observat Johannes Zamoscius lib. 1. de  
Senat. Rom.

XXXIII. Si magis adhuc retro in Republica Ro-  
mana oculi flectantur, videtur ita Romulus Senatum su-  
um legisse, ut est apud *Dionys Halicarn. lib. 2. Antiquit.  
Rom.* Ut ipse unum ex C. Patriciis selegerit, quem rebus  
urbanis præesse voluerit, si ipse in bellum proficisceretur.  
Singulas deinde tribus, tres viros ætate, prudentia, & ge-  
nere præcipuos jussit legere. Post hocce novem jussit de-  
nuo singulas curias tres viros è Patriciis maxime idoneos  
deligere. Atque ita adjectis illis novem, his nonaginta  
& uno illo, quem ipse decreverat, C. Senatorum nume-  
rum explevit. Quomodo Veneti eligant apud Ianot-  
tum de eorum Republica; quomodo alij apud alios ex-  
stat, quorum omnium modos & instituta recensere nimis  
foret prolixum. Ut ab exemplis ad præcepta reverta-  
mur, existimat quispiam, non esse faciliorem viam legen-  
di optimates, quam si tota res bene meritis de Republica,  
eisque juratis committatur. Sed non addit, quinam be-  
ne illi de Republica meriti esse debeant, qui sane in Ari-  
stocratia alij raro esse solent quam ipsi optimates in Re-  
publica jam constituti, adeoque ad cooptationem pene  
res rediret, quam tamen non esse sine periculo, ne, uti  
nunc sunt *ἀριστοι*, aut hereditaria aut Oligarchica fiat Re-  
spublika, jam ante est dictum.

XXXIV. Quantum nostrum est judicium, inter o-  
mnes illos modos, quorum fecimus mentionem, vide-  
tur ille esse optimus, quo utebantur Romani, quando  
eorum Respublica uti credebant, erat pessima, hoc est Re-  
gia,



12  
gia, si unum illum demas, quem Romulus tanquam lega-  
tum suum addidit, qui sine dubio Senatorum consilia &  
actiones satis acute & tantum non nimium observavit.  
Nam uti reliquos cum hoc ne quidem contendi posse  
credimus, ita nec illum, qui Censorum aut dictatorum  
tempore obtinuit, huic præferri debere ex istimamus. In-  
cautius enim omnino in lectos jam Senatores, quando  
tantum recitabantur, populus Romanus consensit, quam  
prævia deliberatione eligere ipse potuisset. Equidem  
cum Bodino *lib. 2. cap. 6. de Republ.* ultro largior, singulos è  
populo, si iis committatur negotium, similem sibi, id est  
stolidum fere lecturum; de integris tamen tribubus, cu-  
riis, & quos nunc habemus, ordinibus & collegiis, ne ipse  
quidem Bodinus hoc metuerit, quibus nunquam deesse  
possunt, qui, si non optimum, Reipublicæ saltem suæ con-  
venientissimum eligant. Quod si tum forte contigerit,  
ut unus aut alter paria habeant suffragia, quin forti res  
committatur, nullum est periculum, quippe quæ, in quo  
errare possit, tum non inveniat.

XXXV. Venimus ad Politiam seu Rempublicam  
in specie dictam, tertiam illam rectorum & simplicium re-  
rumpublicarum speciem, quæ est, *quando populus imperat  
ad communem ex æquo utilitatem, 3. Polit. 7. τὸ πλῆθὺς* enim  
seu multitudinem, quam Philosophus loco generis ponit,  
per omnes seu totum populum recte explicari putamus,  
quod in alias obtinere idem tradit, *lib. de Poetica. cap. 25.  
τὸ τὰν εἶναι πολὺν*. Nam etiam nos populum cum ICTO o-  
mnino distinguimus à plebe, *J. Just. de I. N. G. & C. & l.  
238. ff. de V. S.* ut ille Patricios & Senatores etiam contine-  
at, hæc sine illis ceteros tantum cives. Quod quidem  
adeo notandum est ut, si plebs dominetur, Democratia ori-  
atur Politicæ ad amissim contraria.

C 2

XXXVI.



XXXVI. Iniquos fere censores hæc Respublica accepit, interque eos Platonem, qui *in Polit.* inter iniquas Respublicas optimam, inter optimas deterrimam pronunciat Democratiam. Neque Democratiam tamen intelligit eam, quam Politia opponi diximus, quando plebs dominatur, sed ipsam Politiam generali ejus vocis acceptione aliis quoque autoribus non inusitata, uti mox dicemus. Cujus quidem rei hoc esse argumentum potest, quod in sequentibus dividat illam in legitimam & prolapsam, quod certe facere non debuisset, si Democratiam Aristoteli & strictè dictam tantum intellexisset. Quod pace viri dixerim videtur hic omnino Plato secus atque Philosophum decebat processisse. Omnino enim ante inter res tam diversas tamque contrarias distinguere debuisset, & tum de legitima pronunciare, si quidem hæc ejus mens fuisset, quod nos quidem credimus, inter bonas eam esse pessimam; de prolapsa inter malas eam esse optimam. Quæ tamen si maxime ejus sit sententia, nihilo tamen minus reprehenditur ab Aristotele *4. Polit. 2.* quod bonitatem aliquam tribuat vitiosis rebus publicis, in quas tamen ea non cadat, quippe toto genere diversa, quasque *magis minusve vitiosas* recte quidem, non autem *bonas nedum optimas* dixisset.

XXXVII. Non videtur autem difficile hariolari, quid Platonem in hanc sententiam conjecerit; cum enim videret, in omni civitate plebis semper maximam esse multitudinem, quæ, si numerum in eas, nobiles & optimates multum superet, adeoque si singuli suffragia & jura majestatis habeant, nunquam non bona & salubria nobilium & prudentum consilia ab imperito vulgo superatum iri, nec illam rempublicam salvam aut bonam esse posse, cui ita ab inconsulta plebe consulatur. Inter malas au-  
tem



12

tem ideo censuit optimam, quod sine dubio singuli illi quisque suam utilitatem prospiciendo sint habitari, adeoque meliorem, (utamur jam ejus verbis) illam esse Rempublicam, in qua plerisque bene sit, quam in qua uni aut paucis. Verum uti Platoni non controvertimus, sed ultro fatemur, singulos è plebe, si pari cum omnibus auctoritate admittantur, meliores facili negotio victuros, eorumque imperium, ut ipsi instabile admodum futurum; ita hoc nobis amplius probari cupimus, de essentia Politiae, seu Reipublicae strictim dictae esse, ut jura majestatis penes unumquemque è populo sint seorsim aequaliter, quod ut factum sit, multum haecenus abest.

XXXIIX. Aristoteles certe longe aliud, neque dubium est, quin rectius, docet, 4. Polit. 8. & 9. Non esse necessarium ad constituendam Politiam, ut viri itim suffragia ferantur, alias enim, quod diximus, malum evenire, & optimos & sapientissimos viros à peioribus & stolidioribus multum vinci; satis esse si jura majestatis penes nobiles & plebem sint indivisa. Atque hoc est, quod ille cinum vocat Oligarchiae, & Democratiae, in eoque naturam Reipublicae in specie constituit. Ad cujus etiam similitudinem in parva aliqua civitate, si plures ordines istic quam unum non esse contingat, penes curias, decurias, & collegia majestatem, quemadmodum in electionibus suffragia, esse posse nulli dubitamus.

XXXIX. Quod si forte Anacharsis aliquis existat, qui non solum de Atheniensium, sed de omni etiam Democratia (in genere dicta) pronunciare velit, deliberare istic sapientes, stultos decernere, id quidem, si viri itim fiat, ipsi facile largiemur, & collegia, cur non hi aequè ita majestatem, quam electionem, uti antea attulimus, habere possint, nihil dum dixit Anacharsis, praesertim cum



Inter bonas eam recenseat Aristoteles, à cuius sententia recedere, ut nobis alias religio est, ita cur hic illud agere instituamus, nulla est causa, Quam maxime cum libertatem habeat pro scopo, quod cum Aristoteles in multis locis confiteatur, 2. Polit. 9. 3. Polit. 3. & ult. 4. Polit. 8. & a- libi, tum ne ipsi quidem Politicæ hostes negant. Quæ cum in hoc potissimum consisteret, ut nulli subessent, id vero per hominum, uti nunc sunt, naturam non amplius liceret, ad illum tamen gradum, qui huic esse proximus, devenerunt, ut alterne parerent, & imperarent, juribus majestatis nihilominus toto populo salvis. Ita Horatius & Valerius COSS. apud Liv. lib. 3. conqueruntur, Decemviros inter alia Magistratus annuos & vicissitudinem imperandi: quod unum sit ex æquanda libertatis sustulisse. Et Canuleius apud eundem lib. 4. Id æqua, inquit, libertatis est, si in vicem annuis magistratibus parere & imperare liceat.

XL. Sed satis fortassis multa de Rebus publicis rectis, subdendæ nunc vitiosæ, in quibus eo nobis esse brevioribus licebit, quo prolixius de hoc dictum fuit, & ex his illarum natura facilius cognosci potest, secundum illud, quod labe è rectis patescant, 3. Polit. 5. Atque ut de illis potissimum incipiamus, quæ regno opponuntur, maximè ei contrariatur Tyrannis, quando unus imperat, qui suam unicè salutem intendit, 3. Polit. 7. eorum autem vix attendit qui parent, 4. Polit. 10. Omnium omnino Re- rum publicarum pessimas 8. Est. 12. 4. Polit. 2. & Reipublicæ nomine vix digna, 4. Polit. 8. Cæterum ne cui imponat par utriusque & Regis & Tyranni potentia, aut unus aliusve etiam actus tyrannicus in Rege alias bono, certas quas- dam notas memorat Philosophus 5. Polit. 10. Nam ut alias dicitur quod una hirundo non faciat ver: ita nec si semel sed semper aut sæpissime eundem deprehendas, tum demum de



12

de tyranno licebit pronunciare. Horum Tyrannorum  
(cæteras enim vocabuli acceptiones afferre, postquam jam  
definivimus necessum non putamus) duo facit genera 4.  
*Polit. 10.* Quod alij sint titulo, alij exercitio, seu ut alij lo-  
quuntur, quod tamen idem est, alij occupatione, admi-  
nistracione alij. Quam distinctionem maxime tum non-  
nulli probant, quando quæritur, liceatne Tyrannum è me-  
dio tollere, quod quidem affirmant de titulo tali, sive oc-  
cupatione; magis vero adhuc de illo, qui utroque & titu-  
lo & exercitio talis est. Non vero de eo qui Tyrannus sit  
administracione, & tyrannidem à proavis acceperit, quod  
tum subditi quodammodo in illud imperium consense-  
rint. Quos inter etiam est *Hugo Grot. lib. 1. de I. Bell. ac Pac.*  
*c. 4. n. 15. & seqq.* Sed quia præstat scelera ignorari, ut ha-  
bet *Glossa ad c. 19. de hæret. in sexte*, & jam de Tyranni morte  
diximus, quod amplius possimus, superesse non putamus.

XLI. Medius quasi inter Tyrannidem & Regnum  
Dominatus ille cujus jam ante mentionem fecimus, quan-  
do unus imperat, qui primario suam intendit utilitatem,  
per accidens tamen subditorum sic satis diligentem curam  
habet. Quam definitionem colligunt ex signis, quæ A-  
ristoteles habet 3. *Polit. 10.* 4. *Polit. 10.* & alibi, cum ipsius  
definitio non inveniatur. In hoc vitiosus quod publicam  
non intendat primario, quippe quam rectorum Rerumpu-  
blicarum normam fecimus. Hoc imperium tamen ma-  
gis pro Barbaris quam Græcis, Asiaticis quam Europæis  
esse asserit Aristoteles 3. *Polit. 10.* quibus non obscure in-  
nuit, aliis alios, ut hoc modo imperentur, aptiores esse,  
quemadmodum etiam alias differit, servos quosdam na-  
sci. *Polit. 3.* adeoque illis, qui ita dominum non inviti pa-  
tiuntur, injustus ille dominandi modus non est, cum volen-  
ti, ut ajunt Ethici, non fiat injuria. Id majoris difficultatis  
est



est expedire, si barbari aliquandiu sub Dominis vixerint, eorum autem posteri cultiores reddantur, ut horum mores & ingenia à majorum suorum multum distent, juste illud dominium excutere queant. Equidem & à Græcis & à Romanis factitatum illud legimus, iure vero an injuria nobis quidem amplius deliberandum esse censemus, interea non dubitamus asserere juri gentium talem dominatum non repugnare.

XLII. Proferamus ad Oligarchiam. De qua initio notandum vocem illam esse ambiguum, quod apud alios non tantum autores observare est, sed in ipso etiam Aristotele ejus rei exstant vestigia, quando *4. Polit. 3.* illum taxat, Speusippum fortasse, qui uti nunc, qui Ramum sequuntur, amore *διολογίας* rempublicam omnem in Oligarchicam & popularem dividebat, & sub Oligarchia late sumpta, tanquam generali vocabulo Aristocratiam etiam comprehendebat, id ipse etiam ibi refert Aristoteles. Quod quodammodo tolerari posset, si divisio ipsa alias recte sese haberet. Nam si originem vocis spectes, paucorum imperium dicit, qui sive optimates sint in Aristocratia, sive divites in Oligarchia nostra, id paucitati eorum nihil obstat; verum cum Aristoteles statim subjiciat, meliorem se divisionem dedisse, illam scilicet quam nos supra attulimus, in bonas & aberrationes, nos cum divisione una hanc etiam Oligarchiæ acceptionem relinquimus, hanc que, de qua nobis jam sermo est, definimus *ex 3. Polit. 5. ubi divites plures tamen uno imperant ad propriam utilitatem.*

XLIII. In mentem hic nobis est, quid ex promisso debeamus, cum enim supra de notis diversarum rerumpublicarum ageremus, diximus Aristotelem eo nomine apud nonnullos male audire, quod cum *3. Polit. 5.* numerum imperantium diversarum Rerumpublicarum notam



12

tam fecisset, adeoque hic Oligarchia definiri debuisset imperium paucorum, quicumque illi sint ad suam utilitatem, ille tamen pro paucis divites substituatur, quod cum istic suo loco conciliandum receperimus, hic locus ille erit, & principio quidem ut in omni alia, ita in hac etiam re accurate distinguenda veniunt illa, quæ de essentia ejus sunt, ab illis quæ ei tantum accidunt. Aristoteles quamvis tanquam inseparabile propemodum accidens rerum publicarum numerum eorum, penes quos sit majestas, admittat, (neque enim novum est, vulgo rebus nomina ab accidentibus indi, ut accurate notatum in *disp. de Oligarchia* lib. 13.) aliud tamen omnino est, in quo earum essentia consistit. Ita unitas nec Regnum nec Dominatum nec Tyrannidem constituit, sed unius summa excellentia Regnum facit, Dominatum dominium, nimix unius potentix & divitiarum Tyrannidem. Ita Aristocratiam non unius sed plurium præ omnibus dignitas; Politiam seu Rempublicam strictim dictam quædam inter omnes paritas constituit, quando neque unus neque aliqui præ cæteris excellunt. Ad eum igitur modum Oligarchiam etiam divitias, Democratiam paupertatem constituere cum Aristotele asserimus. Atque hinc est, quod idem ille *4. Polit. 4.* dicit, si in aliqua civitate sint mille trecenti cives, quorum mille divites, & republica potiantur, trecenti pauperes, & parent, non ideo, quod major numerus imperantium, quam parentium, dicendum esse illam non esse Oligarchiam; nec ex adverso, si trecenti illi pauperes prævalerent, pro Oligarchia hanc Rempublicam habendam, sed pro Democratia.

XLIV. Sed cum hæc fortassis clara sint, de speciebus Oligarchiæ, quæ habet Aristoteles subdenda erunt, ex *cap. 5. & 6. lib. 4. Polit.* Esse autem plures Oligarchiæ species

D

species



Species Aristoteles ex diversitate divitum demonstrat, tametsi *Aristoteli* contra statuat *Relect. Polit. lib. 2. cap. 4. sect. 3. n. 36.* Quatuor autem numerat Aristoteles. Prima est, quando certus census legibus definitus est, quem qui adipiscitur, socius statim fit imperij, qui quamvis non adeo magnus sit, tantus tamen est, ut pauperes, quippe plurima pars, nancisci eum nequeant. Secunda quando quidem etiam census habetur ratio, sic tamen, ut non, qui illum nactus sit, statim fiat imperij particeps, sed penes ceteros *ὀλίγῃ* maneat arbitrium eligendi. Tertia, quando non quilibet dives est civibus, sed filii parentibus succedunt. Quarta denique, quando pauci divites, vi partu dolove rapto imperio, sine legibus pro lubitu dominantur, hæc omnium deterrima, dicta alias etiam *δυναστεία* Aristoteli *d. c. s.* cum tres priores species secundum legum præscripta adhuc incedant.

XLV. Tandem ad Democratiam, cui eadem principio, quæ Oligarchiæ, vocis accidit ambiguitas. Generaliter enim quandoque tam Politiam dicere, quam Democratiam strictè dictam, ex ijs, quæ antea differuimus, manifestum jam est, ut ea operose hic repetere, non sit necessum. *Polybius* etiam pro sola Politia eam accipit, *in Principio lib. 6.* Sed nos uti alias ita hic quoque Aristotelem sequimur, qui strictè eam accipit, & definit *imperium pauperum inprivatam utilitatem 3. Polit. 5. & 4. Polit. 4.* Nisi quod hic non tantum ut, qui imperent, *pauperes* sint, sed & ut *liberi*, requirat. Sed de hoc quidem ex parte supra visum jam fuit, libertatem enim, (quæ in duobus potissimum consistit, imperandi parendique viciscitudine & vivendi ut velis licentia, Aristoteles *6. Polit. 2.*) non tantum Politia ut finem ultimum, sed & Democratia sibi ha-



bi habet præstitutum. Quod si quis existimet, male Aristotelem vel nos Democratiam per imperium pauperum definivisse, rectius autem illud per imperium multorum sive plebis facturos fuisse, illum ad ea, quæ de divitiis in Oligarchia disputata sunt, remittimus, & parem paupertatis in Democratia rationem esse affirmamus.

XLVI. Superest, ut de ejus speciebus videamus, quorum plures esse gradus ex diversitate plebis, ut Oligarchiæ ex diversitate nobilium, demonstrat. Plebs enim & pauperes, & nobiles ac divites in hac materia Aristoteli unum quodammodo sunt, uti passim hoc deprehendimus, unde ipsemet nobilitatem per inveteratas divitias & virtutem definit *4. Polit. 8. & 5. Polit. 1.* Quinque autem tantum Aristoteles numerat *4. Polit. 4. & 6.* Nisi quod in cap. 7. quatuor tantum repetat illas, quæ à prima illa & vera Democratia una longius quam altera, abeant, quibus si illa computetur, quinque iterum erunt. Neque id magnopere contendimus, plures dari non posse. Id veri admodum simile est, Aristotelis certe tempore plures nondum extitisse in historiis, quod alias tanti ingenii & industriæ vir, ut omnia prope sciverit, neque ignorasset, neque indictum reliquisset.

XLVII. Prima igitur earum est, quando singulorum civium par est autoritas, iisque aditus ad rempublicam patet, quam tamen secundum leges gubernant. Omnino enim Democraticum est, si singuli è multitudine pari sint autoritate, qua singuli è nobilitate, cum enim major sit plerumque numerus plebis, quam Nobilitatis, hæc facile supplantabitur. Reliquarum tamen omnium hæc quam maxime ad Politiam accedit. Secunda species est eorum, qui censum aliquem, non tamen adeo magnum

D 2

habent,



habent, quo statim sunt imperii participes. Tertia; quando iterum par omnium est conditio, sed illi tamen excluduntur, qui macula quadam sunt notati, cœteri secundum præscripta legum imperent. Quarta species ne infamia quidem notatos excludit, dummodo utroque parente cive sint nati. inquilini autem & cujus vel pater vel mater tantum civis fuit, arcentur. Sed in his omnibus leges adhuc valent, & secundum eas, qualescunque etiam sint, omnia fiunt. Quinta autem omnium deterrima nullas patitur leges, sed omnia istic omnibus licent dicta Platonis ὀχλοκρατία, quod nomen forte adhuc nimis honestum est, cum ἄναρχία pene sit, & Reipublicæ amplius nomine, ne malæ quidem vix digna.

XLIX. Sed diu satis & pro instituti ratione prope nimium simplicibus Rebuspublicis immorati sumus, monet jam tempus & ordo, ut de mixtis videamus. Ac ne quicquid in posterum de illa dicetur, collabi necessum habeat, si nonnulli, quod intendunt, obtineant, mixtam Rempublicam dari non posse, operæ pretium erit hinc initium facere, & quæ Aristotelis hac de re sententia sit, investigare. Qui quidem tantum abest, ut dari eam posse inficias eat, ut ipse modum quandam mixtionis 4. Polit. 9. præscribat, & quod amplius est, illā Rempublicā, quæ ex pluribus concreta sit, cœteris meliorem pronunciet, 2. Polit. 4. Cui igitur sententiæ quoque nos acquiescimus, eamque dicimus Rempublicam mixtam, quando diversis ordinibus diversa majestatis competunt jura.

XLIX. Bodinus ne quod semper non etiam hic agere videatur, ratus eo majorem famam suam futuram, quo audentius Aristoteli obloquatur, lib. 2. cap. 1. de Rep. contra disputat, nec talem rempublicam dari posse contendit,



12

dit, quod jura majestatis sint indivisa. Quod tamen si illo obtineat, non tamen est, ut vereamur, ne tantopere contra nos sit. Ut enim indivisa esse, si rem publicam inspicias, ultro concedimus, quippe quæ, si divisa tantum jura majestatis haberet, integra Respublica non esset, ita cur ea certis civium ordinibus dividi nequeant, æque atque uni tota committi, id vero est, quod maxime omnium probare debebat Bodinus, & minime omnium facit. Animam sensitivam quatenus toti animali incumbit, indivisibilem esse, nemo rerum naturalium facile tam imperitus fuit, qui negaverit. Hæc tamen actiones suas per sensus internos & externos, eosque iterum diversos exercet. Cur majestas à diversis etiam ordinibus administrari nequeat, major ratio non apparet. Nam quod Bodinus l. c. dicit, ob simplicitatem ejus id fieri non posse, in eo oppido fallitur. Diximus modo de anima sensitiva, quam utiq; esse quodammodo simplicem & indivisibilem, apud omnes in confesso est, ejus simplicitati tamen quicquam obstare, quo minus in diversis organis operetur, adeo, ut hec hæc majestatis juribus si tam simplicia essent, patrocinari possit, ne per diversos ordines exerceantur. Nunc vero multum abest, ut majestas tam simplex atque anima sensitiva sit, quippe quæ ex variis demum juribus coalitis exurgat, ut in proclivi esset probare, nisi id præter institutum nostrum foret, adeoque multo etiam facilius diversis partibus quam anima sensitiva communicari possit. Quæ cœtera pro sua sententia attulit, ijs erudite respondet Piccartus in comment. ad c. 9. lib. 4. Polit. Nobis ne nimii simus, omnia adducere non licet.

L. Videndum jam in quo ratio mixtionis consistat. Quæ quidem nobis duplex esse videtur æqualis a-  
lia, si nimirum æqualiter jura majestatis divitantur, ut alius



ordo hæc, alius illa, tertius denique alia habeat ita temperata, ut nulla pars prævaleat: alia inæqualis, ita tamen ut perierit simplicium rerum publicarum natura. Sæpe enim inter simplices res publicas inveneris, quæ ob crebras mutationes alieni quippiam admistum habeant, quamdiu tamen adeo non miscentur, ut formam simplicem amiserint, mixtæ non sunt dicendæ. Egregium certe in hunc sensum simile adducunt Politici ex rebus naturalibus. Quemadmodum enim elementa non sunt mixta, nisi perdiderint speciem, & pene æquali proportionem sese mutuo temperarint, ut docet Aristoteles *lib. 1. de Generat. & Corrupt. cap. 10. text. 86. & 88.* Ita ajunt ad *cap. 9. lib. 4. Polit.* nec judicandam esse rem publicam mixtam, nisi formæ ita inter se temperatæ sint, ut nullius simplicis nomine appellari merito queat. Sunt autem & mixta corpora, alia quoad pondus alia quoad justitiam, ut loquuntur, temperata: imo horum quæ inæqualiter sunt mixta, numerus major est quam illorum. Quod ipsum & in rebus publicis usu venit: æqualiter enim mixtæ rarius reperiuntur.

LI. Non unicum vero mixtæ Reipublicæ esse modum asserimus, cum fieri etiam aliquando possit, ut duæ solum formæ, nunc tres, nunc plures inter se misceantur. Quod quidem sub certas leges revocare, quænam majestatis jura huic vel isti ordini sint concedenda, cum nec Aristoteli factitatum sit, in scripto quidem hodieque superstitite (etsi enim libro sexto factum id omnino sit verisimile, ejusque supersint hodieque vestigia, tamen ille mutilus est & magnam partem ævi vitio periit) hinc non satis tutum putamus, nostri ingenij ductum sequi. Interim hoc asserere non dubitamus, vitiosas non magis quam rectas misceri, nec mixtam rem publicam tantum justam



12  
nam esse posse sed & corruptam. Est quidem hoc etiam in-  
ter argumenta Bodini, quibus mixtionem rerum publi-  
carum impugnat, quod dicit *cap. 1. lib. 2.* bonas misceri  
opus non esse, malas vero qui misceat, ex malo pejus fa-  
cere, & fel aceto addere. Sed hoc pro tantâ re exiguum  
sanè argumentum est, non enim quam bene aut male inju-  
stæ resplicæ misceantur, quæritur, sed an, ut miscean-  
tur, fieri non possit.

LII. Sed quia inter vulgus non solum sed & inter  
doctos reperias, qui exemplis quàm rationibus credere  
malint, videbimus, nihilne mixtionis in veteri historia  
inveniatur. In qua prima occurrit respública Laconum,  
de qua quidem plerique conveniunt, quod post Lycurgi  
ætatem fuerit mixta, an vero ex tribus formis, an ex dua-  
bus tantum, & ex quibus, sunt, qui ambigunt: quomodo  
etiam ipse Aristoteles *2. Polit. 4.* refert, alios fuisse, qui ex  
tribus Oligarchia, Monarchia, & Democratia concretam  
illam dixerint; alios ex duabus tantum, Tyrannide & De-  
mocratia, quæ est *Platonis 4. de LL.* neque ipse disputat ad-  
versum eos, qui respUBLICAM Spartanam mixtam asser-  
bant, de formis tantum in mixtione concurrentibus dif-  
sentit. Causam hujus difficultatis, quod non ita in pro-  
clivi fuerit, de iis judicare ponit ipse Aristoteles *4. Polit. 9.*  
in accurata mixtione, & quod extrema tam bene tempe-  
rata sint, ut medium ab alterutro eorum vix liceat digno-  
sci. Sic alias in Ethicis docet, fortem, si comparetur igna-  
vo, audacis, si cum audace, ignavi faciem induere, & li-  
beralem, si cum prodigo componas, avari, si cum avaro,  
prodigi speciem præ se ferre, *2. Eth. 8. 3. Eth. 6.*

LIII. Et ne operam sumamus in citandis illis, qui  
mixtionem non admittunt, quos pro se citat *Bodinus 2. Po-  
lit. 1.*



lib. 1. Historicos plerosque aut Oratores, ut Aristocrati-  
cam illam rempublicam evincat, qui tamen hac de re sua  
quidem arte judicare non poterant, & quando ista scri-  
bebant, nihil minus forte in animo habebant, quam de  
accurata ejus Reipublicæ forma sententiam ferre. Nec  
plus operæ merentur illi, qui puram Democratiam Spar-  
tanam agnoscunt, quamvis hi adhuc minus errent, quam  
priores. Omnino enim magna fuit concessa populo po-  
testas institutis Lycurgi, quæ tantum abest, ut postmo-  
dum à Theopompo & succedentibus Ephoris fuerit immi-  
nuta, ut magis etiam fuerit intensa. *Plutarchus in Lycur-  
go;* Et major prope dicente Aristotele *2. Polit. 7.* quam æ-  
qualitas mixtionis ferret. Simul tamen hoc quoque extra  
controversiam est, Theopompum non minus multa Sena-  
tui xxx. virorum quam Ephoris detulisse, magnamque ejus  
in illa republica fuisse auctoritatem, ut *Xenophon testatur in  
Rep. Lacedæmon.* Et illius apophthegma, qui *in sola Sparta-  
na civitate expedire dicebat senescere.* *2. Polit. 7. in lib. 1. m. 11.*  
LIV. Qui ex tribus mistam volunt, iis ipse respon-  
det Aristoteles *in lib. 2. cap. 7. Polit. & lib. 4. cap. 9.* Regum  
enim nudum nomen, nullam potentiam fuisse, quæ in re o-  
mnes habet historicos suffragatores. Coeterum jura ma-  
jestatis penes Ephoros & Senatum fuisse. Ephori vero  
plebis vicem sustinebant, quippe plebejus magistratus, ut  
Tribunus apud Romanos, & ex infima plebe creati soliti  
Aristoteles *2. Polit. 4. & 7.* Et licet horum quidem po-  
tentia magna & tantum non nimia in Republica Sparta-  
na fuerit, uti ante jam tetigimus; Senatui tamen nihilo-  
minus certa quoque majestatis jura tribuit Philosophus,  
ita *d. cap. 7. Senatus sunt magnorum judiciorum domini.* &  
*eod. cap. Senatum cum summa potestate disposuisse quædam*  
*circa*



n

*circa Rempublicam multaque sordide administrasse, quod nemi-  
ni rationes reddere sine coacti, & 4. Polit. 9. Habere eum  
jus vita & necis, & id genus multa. Quo omnino etiam  
referre licet jus praeconsultandi cum Plutarcho in Agide,  
qui praecipuam Senatus autoritatem in eo locat. Vti e-  
nim Romulus cum demum populo jus suum esse volebat, si  
idem Patribus esset visum, Halycarn. lib. 2. quod deinde in-  
terregni tempore in leges relatum est. Ne populus nisi Pa-  
tres autores facti extitissent, sciscendi potestatem haberet,  
Livius lib. 1. qui mos etiam ad ipsius aetatem duravit;  
Ita Spartae quoque, quae Senatus noluit, populus decer-  
nere non potuit, quamvis enim vota penes hunc essent,  
ferre tamen ille non poterat, nisi a Senatu & convocatus  
& rogatus fuisset. Ex quibus omnibus ita satis liquet,  
majestatem Reges nullam, sed Senatum & Ephoros divi-  
sam prope habuisse.*

LV. Alterum exemplum est in republica Roma-  
na illo aliquandiu tempore, quod fuit inter ejectos Re-  
ges, & Iulium Caesarem. Cum vero notum sit ex histo-  
ria Romana, multa saepe in republica toto illo tempore  
fuisse mutata, quaesitum est, an nihil ex istis mutationi-  
bus etiam varia verit respública, sed una semper eadem-  
que ejus facies, mixta scilicet, fuerit. Quae tamen quae-  
stio, tantum difficultatis non habet, ut a rerum & legum  
Romanarum tantum leviter perito expediri non possit.  
Id quidem quodammodo dubium esse videmus, a quo  
tempore mixturae hujus initium sit arcessendum, a pri-  
mone consulatu Publicolae, qui potestatem cum popu-  
lo communicavit, & legem de provocando ad eum a COSS.  
tulit Liv. lib. 2. In qua sententia nonnullos deprehen-  
dimus; an vero a primis Tribunis, qui annis aliquot, XIV

E

circi-



circiter post exstiterunt, quippe quos Dionys. in annum V.C.CCLXI. collocat, quod Piccarto placet, Tamen si tantopere in exigua hac temporis differentia non sit ponendum, ut diversum Dd. hic sentire credamus, Vti enim certum est lege illa Publicolæ statim majestatem populo aliquatenus communicatam fuisse, sic populum sine certo aliquo capite, qui deinde Tribunus erat, concessa potestate ita non uti potuisse, à vero non multum abit.

LVI. Difficilius possit videri expeditu, quando finierit. Nos vero salva auctoritate aliorum opinamur finem demum impositum cum Cæsarum imperio. Etsi enim interea temporis nunc populi nunc Senatus partes vulgo invaluerint, ut alio parum valuerint, revera tamen semper mistio quædam fuit reliqua, non una tamen mistionis ratione, sed nunc hanc nunc illa prevalente.

LVII. Qui denuo sub imp. Romanis mixtam fuisse scripserunt, ut Xiphilinus, qui populum Romanum ideo Augustum luxisse autor est, quod *salutariter Regnum cum Republica miscuisset*, & Tacitus, qui Nervam laudat *in vita Agric. quod res olim dissociabiles miscuerit Principatum & libertatem* (id est Politiam, quippe cuius finis ut *lib. 39.* notavimus) eos favore peccasse conjicimus, cum satis constet, nihil unquam in republica Romana illius temporis insciis, certe non invitis Imp., vel cuius non ipsi exstiterint potissimi imo nunc autores, decretum aut gestum fuisse. Credimus potius Dioni, qui *post DCCXXV annos rempublicam in regiam potestatem redisse* scribit. Nec de Augusto id ipse Tacitus diffitetur, quem *cuncta civilibus discordiis fessa nomine Principis sub imperium accepisse* dicit *principio Annalium*, nec multo post *Crispum Tiberium monuisse.*



12  
monuisse, ne vim principatus resolveret, quam videlicet ab Augusto acceperat, omnia ad Senatum revocando. De Nerva domesticum quodammodo testimonium, neque forte dubium, quin honestius quam verius, ut vicissim gratiam faceret ei, qui Consulem ipsum fecerat. Vel vero dicendum id quod res est, dum Nerva minus addicte populum Romanum haberet, rediisse libertatis aliquid pristinae: quae revera etiam sub Principatu est, etsi non illa, quae in democratia. Iustius omnino quid mixti in eo quod nunc est Imperio Romano-Germanico dixeris. Postquam enim cum reliqui Ordines tum imprimis Electores non solum esse, (quod quando factum sit inquirere, non nostri nunc est instituti) sed & tantam potestatem nancisci coeperunt, quod post Carolum IV. factum fuisse constat, diligentius intuenti facile occurrit, Imperium nostrum non amplius, ut olim, monarchicum sed inter Imperatorem & Electores atque Ordinum alios magnam partem divisum esse. An vero aequaliter, an aliqua alterutrius partis sit praeminentia, cum inter excellentissimos Politicos adhuc disputetur, litem illam nostram facere non audemus. Interim ipsa quoque haec disputatio, quomodo antea ex Ethicis adduximus, mixtionis est argumentum.

LIIX. Hic vero locus demum esset, quantum inter Rempublicam ejusque administrationem sit, differendi, praesertim cum & semel atque iterum id nos facturum promiserimus, nec quamvis suus, tantus tamen hujus rei in simplicibus rebus publicis occurrat usus, ad mixtas autem haec doctrina praecipue pertineat, sine qua prope modum proclivis hic est lapsus. Primus qui observata inter utrumque differentia sese mirifice jaecat, fuit Ioannis Bodinus; certe is hoc nomine non dubitavit ipsimet Aristoteli



reli insultare cum alibi tum *lib. 2. cap. 2.* Verum si *πολιτεία*  
est ipsa administratio & *πολιτεία* est forma administratio-  
nis, ut quidem ipsæ definitiones indicant, liquido apparet  
impossibile esse ut respublicæ forma sit alia atque quam  
habet vi suæ administrationis: quodque ibi comminisci-  
tur discriminis Bodinus contradictionem in adjecto in-  
volvere. Fatemur quidem leges aliter habere sese posse  
atque sese habere administratio. Ne hoc primus adver-  
tit Bodinus, sed jam dudum monuit Aristoteles *4. Polit. 5.*  
*Non, inquit, latere nos debet, quod multis locis accidit, rempu-  
blicam, quæ secundum leges non est Democratica, Democrarice  
tamen administrari. Similiter & apud alios contingit, Rempu-  
blicam secundum leges Democraticam, Oligarchico tamen more  
administrari.* Hæc ibi. Quæ quidem impropere tam Ari-  
stoteli inscitiam facile amoliuntur. At vero aliud est le-  
ges posse alias esse ab ipso regimine, aliud rempublicam  
posse differre à regimine. Sæpe enim leges non obser-  
vantur etsi nondum sint usu abrogatæ. At si observen-  
tur leges publicæ, ne ab iis quidem tum diffidet regi-  
men. Nec ideo respublica aliqua, ex. gr. democratia, de-  
finit popularis esse status, quod interdum pleraque in ea  
obeant & decernant magistratus modo id agant non ni-  
si vicaria quadam & dependente potestate, quamque a-  
deo populus possit revocare.

LIX. Hæc ferè sunt quæ de Rebus publicis earum-  
que constitutionibus notavit Aristoteles. In quibus ni-  
hil eum errasse experientia attestatur, quamvis non una  
hæc ille contentus, rem rationibus confirmavit & simili-  
tudinibus illustravit. Quarum omnium nescimus, an  
non hæc sit elegantissima, quam ex primis societatibus  
inducit, quando in familiis, tanquam parvis rebuspu-  
blicis,



12  
blicis, quas dicit 1. *Oecon.* 1. omnes hasce formas depre-  
hendere esse ait, 8. *Eth.* 12. quas deinde ad magnas ac-  
commodat. *Patris imperium in liberos esse regium, & de-  
bere esse, apud Persas tamen fuisse Tyrannicum, quod alias sit  
Domini erga servos. Optimatum statum in marito & uxore  
videri, si huic maritus, quæ ejus sunt relinquat; quæ si ad se  
quoque trahat, Oligarchicum hoc regimen sapere, cum id præ-  
ter dignitatem fiat, quæ alias Aristocratiæ fundamentum est,  
nec ideo, quod ille sit melior. Vicissim idem quoque accidere  
in uxoribus, quæ magnam maritis dotem attulerint, quibus illi  
imperium vendant, nam & tunc divitias imperare, quod in  
Oligarchia obtinere dictum fuit. Fratrum societatem Rempu-  
blicam referre; illam vero, quæ aut nullum aut imbellem habent  
dominum Democratiæ.*

LX. Postquam eo, quem diximus, modo Aristote-  
les Rerum publicarum pleraque jam explicaverat, jubet  
eas inter se conferre, & quæ earum sit optima, quæ con-  
venientissima, videre, 4. *Polit.* 1. In quo quidem, si Se-  
natum quis numerare velit, plurimos pro regno deci-  
disse deprehendet, nisi hoc fortasse objicere illis insti-  
tuat, sub Regibus vixisse plerosque, nec aliter scribere  
fuisse ausos. Aristoteles tamen noster inter eos quoque  
est, cui Reges quidem amicos, veritatem tamen magis  
fuisse amicam, extra omnem dubitationis aleam poni-  
mus. Ille vero dilerte 8. *Eth.* 10. optimam, ait, specierum  
*Monarchiam, pestimam Democratiæ, 4. Polit.* 2. Tyranni-  
*dem opponi divinisimam Republicam, id est Monarchiam, quod  
uti nemo tam nullius frontis fuerit qui de Aristotelis  
regno negaverit, ita, quando quæ nunc sunt regna, vix  
amplius sint regna; 5. Polit.* 10. sicubi vera Aristocratiæ  
vel Politia existat; si quis eas præferre velit, non sine



ratione id fecisse videbitur. Et jam antea locum laudavimus, *Polit. 4. Meliorem esse rempublicam quæ ex pluribus sit concreta.* Accedit quod locorum hominumque sit magna diversitas, quibus, qui idem convenire contendat, nihilo plus agit, quam ut recta cum ratione insanat, & dudum aliud Aristoteles *3. Polit. 10.* demonstravit. Postremo huc res omnis redire videtur, si & Regnum in se consideretur, & quid optimæ civitati maxime conducatur, præ omnibus omnino rebus publicis Monarchiæ palma debetur, verum cum & à Regno & à civitate ista, quæ hodie sunt, non nihil mutent, mirum quoque non est, si eis aliquando aliud quid conducatur.

LXI. Atque hæc fuerunt, quæ pro instituti & ingenij, quam præfati sumus, angustia de rebus publicis differere & voluimus & quivimus, quorum tamen ea, quæ ad earum conservationem & corruptionem faciunt, indicta reliquimus, quæ si non alium locum, alium certe laborem merentur. Nunc nobis hac opera primum defunctis, neminem indignaturum speramus, si voto rem finiamus. Quod certe dignius nobis, qui sub Principibus sumus, an in omni historia reperiat, dubium est, atque illud Tiberij apud *Tacitum lib. 4. Annal.* Nisi quod hoc fortassis incertum sit, ex animo Tiberius ita dixerit, an, ut solebat, simularit: *Deos se, socios & cives precari, illos, ut sibi ad finem usq; vitæ quietam & intelligentem humani diviniq; juris mentem dunt; hos, ut quandocunq; concessisset, cum laude & bonis recordationibus facta atq; famam nominis sui prosequantur.* Quod ut nostri illi Deum ter Opt. Max. serio precentur, & post mortem fieri sibi cupiant, nos illorum nomine ex animo vovemus! Ita fore confidimus, ut quod de Honorio Claudian. *Nec sua nec alterius ipsos moveant, sed publica*  
*cada-*



ca damna; nec subditi libentius cum fortuna Principum, quam  
cum ipsis loquantur, ut jam olim querebatur Galba ad Pi-  
sonem Tacitus lib. 1. Histor. id est, non potentiam  
tantum Principum sed Principes  
vereantur.

Præstantissimo

D N. E R A S M O Nissen/

De Rebusp. theses proponenti

Contubernali Suo

**D**Vm, Nissene, tuæ specimen præstare juventæ  
Te juvat, & pleno differis ore modos,  
Quot solita est, & quas Res sumere publica formas,  
Et quod Aristoteles hic Tibi scire dedit,  
Gratulor, & doctis digna ominor omnia coeptis,  
Quæq; solent istos cuncta manere Viros,  
I, sequere augustos, quâ fas est, Præsidis ausus,  
Et Te discipulum judicet Ille suum.  
Macte Stagiræo multum, Nissene, magistro,  
Sed plus **CONRINGO** Præside macte tuo.  
Norat Aristoteles, sed quæ tum mundus habebat,  
Dum novus, & tellus hoc erat orbe minor,  
Nunc vetus, & major, quâ tunc fuit, existit orbis:  
**CONRINGVS**, quicquid fecit uterque, tenet.

L. M. Q.  
facieb.

Matthias Iohansen  
Dithmarsus.



1530

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Van...  
T...  
G...  
G...  
I...  
M...  
S...  
N...  
D...  
N...  
C...

M...  
D...





(X2618033)

WMA









POLITICA

4639, 2

A

n

BLICIS

7/

ERE,

M

O DEO

IDIO

*Amplissimi*

CONRINGII

Doctoris, & in in-

oris publici, Illustrif-

iliarij intimi & Ar-

is & patroni sui

erandi

ij

*subjicit*

*Wissen*

DI,

MULLERI.

I.